si Deus volet, ἀντίδωρον literarium ad te mittam. Vale de Ao 1592.
vir doctissime, et me amare perge. Dominus Deus te cum
tuis diu incolumem servet. Salutes ex me velim D. Joan-
nem et Typographum Corvinum olim mihi familiarem.
Heidelbergae Nonis April. 1592.

221

Crede mihi, mi Isaace, non socordia, vel quod minus jucundas
tuas haberem, hactenus me nec tibi, nec D. Hexamero respon-
disse. Scis, quae me quotidie occupationes distineant: et
praeter has molestissimae scriptiones mihi incumbunt, quae
quicquid a Scholastico labore vacuum est temporis, suffuran-
tur. Dabitis ergo veniam, quod expectationem vestram
silentio fefelli. Interim quos mihi commendastis juvenes
non admisi solum ad exercitia scholae nostrae, sed et horta-
ri soleo ad alacriorem cursum, et certe gratulor vobis, quod
tales educatis, et ad nos porro quasi obsides fidei vestrae
et consensionis in veritate cum his Ecclesiis mittatis, quam
ad stabula Ubiquistica, ubi a novis vastatoribus nihil nisi
contra sanam doctrinam grunnire, et quem Ecclesia turba-
re discant. Et si vero tu in commendatione hujus scholae
nostrae, et meorum laborum modum excedas, nec ego
tuas, quae me cumulas, laudes in me recipiam: tamen et gra-
ta est mihi benevolentiae tuae significatio, et hoc ipsum in
virtute tua pono, quod te unum ex iis esse ostendis, qui bene-
ficiorum qualiumcunque memoriam retinent non ingratam.
Vulgus nostrorum alumnorum tanti non facit commoda
sua: sed fere duram et acerbam sibi vitam ducunt, multi non sa-
tis intelligere volunt, nec adduci se ullis rationibus patiuntur,
ut cogitent: quid hic agant otio et cibo alieno sustinen-
tes. Sed dabunt hi et Deo et sibi aliquando poenas. Samue-
lem candidum Pater ipse D. Tossanus et mihi commenda-
vit: ac facile sane tanti patris filius adolescens suavissi-
mus ipsa indole ad sui amorem nos adducit. Et si datum in
hoc tempore difficulter impetrari forte possit, ut locus in
aedes recipiatur ob copiam alumnorum, quos singulis fere se-
mestribus quatuor Paedagogia nobis obtrudunt, tamen
brevi futurum spero, ut numerus Collegii aliquanto pro-
[illegible]. Fui nostris author ante triennium ut du-
os alumnos ad exteras Academias studiorum causa mitte-
rent: jamque obtinui, ut alter illorum, Bartholomaeus Coppenig
Rocochensis, nobis tertius collega adjunctus sit, qui pluribus
alumnis deinceps sufficiat. D. Junius ex Academia

in Gallias abitum nunc parat. Ei succedit D. Kimedoncius,
et huic D. Petrus Calaminus, Professor olim Witeber-
gensis, qui ex naufragio Saxonico tandem huc appulit, mi-
sera est ubique doctorum Ecclesiae perturbatio, duobus
illis fortissimis Principibus Saxone et nostro fideli-
ssimis Nutritiis, seu Sathanae fraude, seu nostris de-
merentibus peccatis, e medio sublatis. In Silesia etiam
passim ejiciuntur orthodoxi ministri: crescit fu-
ror vulgi in amplectendis ac tuendis superstitionibus
avitis: ideo passim redeunt spectra diabolica, et mire ho-
mines exagitant. Accepi nuper longam et tristem histo-
riam de diabolo Strigensi, qui tantas in urbe concitat tur-
bas, ut de ea deserenda cives cogitare cogantur. Redeunt
homines ad nomina: deferuntur exorcismos: adest er-
go Satan cum septem deterioribus, ut habeant materiam
exercendae artis suae. Horribilis nobis haec sunt prognosti-
ca. Nos oremus Deum, ut avertat tenebras, et am-
bulemus in luce dum tempus est. Vale mi optime Isaace
cum familia et amicis, quos ex me salutabis officiose.
Heidelbergae Nonis Junii 1592.

T. stud.

D. Pareus

Ornatissimo et Doctissimo
viro D. Isaaco Crunero, Prae-
ceptori in illustri Gymnasio
Hornbachiano amico suo percharo.

222) Salutem in Christo.

Officium illud tuum, mi D. Paree, quo picturas
illas appetitas ad me misisti, gratius mihi fuit, quam
si decuplo pretiosius aliquid mihi donasses, usque adeo appeto
quicquid de hoc argumento contra Wirtebergenses scribitur, qui suo
odiose semper dogma de praedestin: traducere. Et haec
causa est, cur etiam Contzeri concionem D. Joanni
apprehendi: alia enim ratio est apud plebem, alia in scholis
haec tractandi. Rem itaque praestitisti mihi gratissi-
mam quod utramque misisti. Dedi negocium biblio-
polae Lipsiensi, utcum Harnisch agat quo ad sequentes nun-
dinas domo exemplar afferendum vindicationis
primae caret; aut ab aliquo bibliopola Heidelber-
gae aut Spirae petat. Nam omnino alicunde ex-